


Præter enarratum glandularum genus maximè simplicium, deprehenditur aliud priori simplicitate proximum : utpote ita ex glandulis hucusque enarratis compositum, ut ex paucis illarum certa lege unitis nasci videantur. Si enim conceperimus, illas descriptas emissaria sua in unum communem canalem conjungere, huncque deinde humores, qui in singularibus cujusque glandulæ organis erant secreti, per cujusque folliculi fistulam in se recipere, atque in loca destinata dimittere, habetur vera hujus fabricæ species. Ut vero distinctius imprimatur animo imago ipsius rei, fas esto speculationi objicere hanc Ejus iconem, in posthumis datam.



ubi *a, a, a, a*, folliculos glandularum simplicissimarum denotat, *b, b, b, b*, singularia emissaria, cuique utriculo *a*, propria, atque in communem canalem excretorium *d, c*, suos humores demittentia, qui tandem per hujus aperturam *c* emittantur. Tales enim reperiri hinc inde in facie externa, labiis, palato, locis quibusdam cutaneis, imprimis circa pedes, & in pudendis, observavit. Ventriculi autem harum partium *a, a, a, a*, constant tali apparatu vasorum arteriosorum, venosorum, nervorumque, ut in primo genere jam descriptum fuit. Quare patet ex hac ipsa re, Naturam progredi à solitaria, simplici, glandula, minima, ad compositionem earum, quæ quidem paulo magis compositæ, sed ad quas constituendas, solæ primæ simplicissimæ concurrerent ita, ut eadem esset omnino utriusque fabrica. Atque argumenta quidem omnia, quibus constitit de sede, mole, fabrica, usu primarum, hîc modo repetenda forent : quod monuisse esto satis.